Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 657
Quelle:
Copyright:

ſem Magnum illum putet, qui potius *Raphaneenſis* in *Syria* Epiſcopus fuit *Joanni* συγχρονος. An Verſio noſtra ad aliquem e tribus antiquioribus ejus Interpretibus, puta *Anianum*, aut *Mucianum Scholaſticum* aut *Burgundionem* Judicem *Piſanum* pertineat, neſcio; ita de ea ſilent *Germ. Brixius* recentior, et *Bern. Montefalconius* recentiſſimus Operis noſtri μεταφρασης. Eam certe in edit. *Veneta Opp. Chryſoſtomi* 1503. *fol.* 49. f. adcurate expreſſam invenio, et *Codex* noſter ad calcem habet: *Explicit feliciter liber VI et ultimus Sancti iohannis chriſoſtomi de dignitate ſacerdotali per modum dialogi cum ſancto Baſilio* 1465. Ita primo ſaltem Sec. XV. dimidio paratam fuiſſe oportet.

CCXII. VII g. 17.

Codex membraneus lat. Sec. 565 ſaltem X. Foll. nunc 78. 4. commode perſcriptus ſequentia complectitur: I. *Incipit de Reparatione Lapſi.* Initium: *Quis dabit capiti meo aquam. et oculis meis fontem lacrimarum; Oportunius multo nunc a me. quam tunc a propheta dei dicetur* &c. *Johannis Chryſ.* eſt *ad Theodorum*, ut *Cod.* XC. quem confer. In edit. *Montefalc. T. I. Pariſ.* 1718. p. 1. f. Ceterum hic correctius Exemplum, quam *Cod. cit.* A *fol.* 48. initio Sec. XI. Manus quaedam membranae parca marginibus inſcripſit *Leſſum* rhythmicum in *Ottonem* III. defunctum anno 1002. cujus quaedam nondum extrita huc transferre viſum. Init vero:

Quis dabit aquam capiti
Quis ſuccurret pauperi
Quis dabit fontes oculis
Lacrimoſos populis
Sufficiantque lacrime
Mala mundi plangere.
Ad triumphum eccleſie
Cepit otto creſcere
Sumſit otto imperium
Ut floreret ſeculum.
Viuo ottone tercio
Salus fuit ſeculo.
Poſtquam terre malicia
Aſcendit ad ſidera
In celum raptus abiit
Regem celi adiit
Uiua habet palacia
In eterna patria.

Regnorum robur periit
Quando otto cecidit
Dum otto noſter moritur
Mors in mundo oritur
Mutauit celum faciem
Et terra imaginem.
Plangat mundus plangat roma
Lugeat eccleſia.
Sit nullum rome canticum
Vlulet palacium.
Sub ceſaris abſencia
Sunt turbata ſecula.
Plangat ignitus oriens
Crudus ploret occidens.
Sit aquilo in cinere
Planctus in meridie.
Sit mundus in triſticia
Noſtra luge cythara.